

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2700

Auteur(s) : Thomas, Nogent-le-Rotrou, Saint-Denis (prieur)

Auteur(s) : Philippe de Prulay [clerc]

Bénéficiaire(s) : Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1220

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Sentence arbitrale de frère Thomas, prieur de Nogent-le-Rotrou et de Philippe de Prulay, clerc, qui met fin au différend entre le prieur de Bellême, et Mathieu, curé de Dancé, au sujet d'une maison que ce dernier devait bâtir dans l'enclos de l'église de Dancé.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche, Mortagne-au-Perche, Meaux* (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 212, p. 202-203.

Texte établi d'après a

Frater Th[omas], prior Sancti Dyonisii de Nogento Rotrodi, et Philippus de Pruleio, clericus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Ad universitatis vestre noticiam volumus pervenire quod cum prior de Belismo, vir venerabilis et religiosus, coram viro venerabili et discreto G[aufrido] de Escures, tum temporis officiali Curie Sagiensis, peteret à Mattheo, persona de Dance, quod faceret domum unam in quadam platea infra clausum juxta ecclesiam de Dance, quam Mattheus facere debebat de jure sicut dictus prior asserebat ; idem officialis nobis per suas patentes litteras intimavit quod nos, communi assensu partis utriusque, et ab eis in presencia dicti officialis prestito juramento, electi arbitri instanter et discrete cognosceremus de platea et loco in quo domus illa deberet fieri, et de precio domus faciende et de expensis, de quibus inter dictos priorem et Mattheum in Sagiensi Curia diu fuerat litigatum : Nos autem mandatum officialis exequi volentes et pacem inter eos apponere desiderantes, prudentiumque virorum freti consilio, ac seniorum patrie illius cognita conscientia, convenimus ad locum, et Mattheo, videntibus multis, ostendimus locum in clauso cimiterio adjacenti in quo domus deberet fieri, et ei certum diximus pretium quanti constaret fabrica domus faciende, scilicet XIII libras, et terminum infra quem facta esset domus illa assignavimus ab instante Nativitate beati Johannis Bapthiste in annum. Preterea nos decretui nostro adjungimus, quem levius expediendum esse decrevimus, quod Sagiensis Curia in manu sua capiat redditus dicti Matthei donec XIII libras receperit ad domum faciendam, si domus facta non esset infra terminum assignatum, quam nisi dictus Mattheus infra terminum dictum fecerit, illumque absit obviam occurrere, credo, prestito a se in Sagiensi Curia sacramento. De expensis nichil diximus, locum et tempus et magis expeditum consilium expectantes. Nos vero in hujus rei testimonium litteras istas sigillis nostris fecimus sigillari.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo.